

& qui maiores sunt potestatem exercent in eos. Non ita erit inter uos; sed quicumque uoluerit inter uos maior fieri. sit uester minister; & qui uoluerit inter uos primus esse. erit uester seruus;

**S**icut filius hominis non uenit ministrari. sed ministrare; & dare animam suam. redemptionem pro multis.

**E**t egredietur ab hiericho. secutae sunt eum turbae multae; & ecce duo ceca sedentes secus uiam. audierunt quia ihesus transiret. & clamauerunt dicentes; Dne. miserere nostri fili dauid; Turba autem increpabat eos ut tacerent. At illi magis clamabant dicentes; Dne. miserere nostri fili dauid; & stetit ihesus. & uocauit eos & ait; quid uultis ut faciam uobis. Dicunt illi; Dne. ut aperiantur oculi nostri; Miseratus autem eorum ihesus. tetigit oculos eorum; & confestim uiderunt. & secuti sunt eum.

**E**t cum appropinquarent bethaniam.

& uenissent bethfage ad montem oliuae. tunc ihesus misit duos discipulos. dicens eis; Ite in castellum quod contra uos est. & statim inuenietis asinam alligatam. & pullum cameum. soluite. & adducite mihi; & si quis uobis aliquid dixerit. dicitis quia dominus hic opus habet. & confestim dimittat eos. **H**oc autem factum est. ut impleretur quod dictum est per prophetam dicentem; Dicite filiae sion. ecce rex tuus uenit tibi mansuetus. & sedens super asinam. & pullum filium subiugalis; **C**um autem discipuli. fecerunt sicut praecipit illis ihesus. & adduxerunt asinam & pullum. & imposuerunt super eos uestimenta sua. & eum desuper sedere fecerunt; plurima autem turba. strauerunt uestimenta sua in uia; Alii autem cedebant ramos de arboribus. & sternebant in uia; **T**urbae autem quae praecedebant & quae sequebantur. clamabant dicentes; Osanna filio dauid.